

P R Æ F A T I O.

thodo præceptorum & regularum perfecta explicarem, & præcepta atque regulas sufficienti exemplorum varietate illustrarem, idque non sine methodo. Quam quidem methodum volui seruire profectui docentis & discentis partim in schola, partim in ecclesia. Incepi siquidem ab elementis & rudimentis theologiæ, & pergendo ad altiora in sacris Bibliis substiti. Hinc mihi natæ sunt quatuor classes concionum, hoc modo. *In prima classe* sunt cōciones pertinentes ad librum naturæ: quas persequitur *caput 23. Rhetoricæ ecclesiasticæ. In secunda classe* sunt cōciones Catechetiæ. *capite 24. comprehensæ. In tertia classe* sunt conciones locorum communium, *capite 25. pertractatæ. In quarta classe* sunt conciones textuales, per totum Scripturæ corpus: puta dominicales, nuptiales, funebres, consolatoriæ, typicæ, festales, allegoricæ, dogmaticæ, inuectiuæ, & similes: quas comprehendit *capite 26. quod non ab re potest dici Thesaurus Biblicus. Atque hæc est Rhetorica ecclesiastica. Hanc excipit Politia ecclesiastica, de ordine externo in ecclesia recte instituendo vel restituendo. In hac tradenda non licuit mihi esse prolixior: quia ritus ecclesiastici apud varios sunt varii. Satis igitur habui summa genera perstringere, ad quæ possunt particulares circumstantiæ huius vel illius ecclesiæ referri, si mediocris adhibeatur diligentia. Ad extremum *Acroamatica potius delineanda, quam tractanda**